B. N. C.
FIRENZE
1027
16

1027. 16

CONSTITVTIONES ARCHICONFRATERNITATIS CHARITATIS DE VRBE.





ROMAE, Apud Impreſſores Camerales. M.DCIII.

1027.16

ILL.^{MO} AC R.^{MO} D. D. PETRO

S. R. E. Tit. S. Nicolai in Carcere
Cardinali Aldobrandino Camerario
PROTECTORI.

Archiconfraternitas Charitatis ſempiternam felicitatem.

INſtituti noſtri rationem, progreſſum, ſtatumq; præſentem, breuiter explicatum vniuerſis fratribus noſtris exponere, Tibiq; Cardinalis Ampliſſime dicare operæpretium fore viſum eſt, quod & illis ad Charitatis officia cuiq; ſua, ſiue ardentius amplectenda, ſiue excolenda facilius, documento eſſet; & Amplitudini tuæ, (cuius in Tutela ſumus, ad ipſa inſtituta, ac munera noſtra maioribus adminiculis, licet tenui monumento, perpetuo prouehenda, vt cuius gloriamur

patrocinio,eius ad egenorum ſubſidium opportunum, vti iam cœpimus,deincepſq; ſperamus experiamur Auxilium , Quandoquidem Diuino conſilio factum videtur , vt Archiconfraternitas , quæ pio Clementis Papæ VII.dum eſſet Cardinalis ſtudio,& opera iecit fundamenta, Te Sanctiſs.Clementis VIII nepotem ſapientiſsimum , poſt tantum temporis interuallum,patronum ſortiretur,à quo ſumma ope,ac pietate defenderetur, omni cura,ac ſolicitudine,vt ſæpe feciſti,apud Clemētiſsimum patruum tuum adiuuaretur : Quæ omnia pro munificentiſsimi animi tui erga ipſam Archiconfraternitatem atq; nos omnes argumento libentiſsime ſuſcepimus , vt eadem Charitate, quā & purpureus habitus , & ipſa tua opera deſignant, Archiconfraternitatem , eiusq; Confratres , & egenorum inopiam , quam eiuſdem Charitatis inſtituta in Domino amplectuntur, benignè foueas , ac tuearis ; Vt præclaris hiſce ſtudijs , & operibus non modo veram , & eximiam in terris laudem , ſed quod caput eſt immortalitatis vitæ præmia in Cœlis , quod precamur

mur

mur cumulatiſsime Deo largiente conſequaris. Dat. ex Congregatione dictæ Archiconfraternitatis in Oratorio S. Hieronymi x. Kal. Decembris M. DCII.

D. T. Illuſtriſs. & Reuerendiſs.

Humillimus, & perpetuus ſeruus

Carolus de Ghettis.

Ad laudem S.^{mæ} Trinitatis. Amen.

Relatio vera, & breuis præſentis ſtatus Archiconfraternitatis Charitatis de Vrbe, Ad pia eius inſtituta ſeruanda, & exequenda juxta decreta Cógregationum generalium, & particularium eiuſdem Archiconfraternitatis ab anno 1539. citra fideliter accommodata; Quam Congregatio in Piorum Confratrum reminiſcētiam, & obſeruationem, ac Iurium loci vtilitatem, & præſidium Statutis dictæ Archiconfraternitatis addere, & in quartam eorūdem Statutorum partem ædere procurauit.

Summarium eorum, quæ in dicta Relatione continentur.

Cap. 1. Primæua inſtituta Charitatis.
Cap. 2. Inſtituta in quibus ſe nunc exercet Archiconfraternitas Charitatis.
Cap. 3. De Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Cardinali Protectore, & modo illum eligendi.
Cap. 4. De Reuerendiſs. DD. Prælatis, & officialibus Charitatis, & monaſterij Conuertitarum eorumque electione.
Cap. 5. De Congregationibus generalibus ſæpius in anno faciendis, quibus de cauſis, & quo ordine ſint celebrandæ, vbi etiam.
De confratribus non admittendis, niſi in congregationibus generalibus, & de qualitate confratrum recipiendorum.
Cap. 6. De Congregatione ordinaria Charitatis.
Cap. 7. De diſtributione inſtitutorum Charitatis inter dictos Deputatos.
Cap. 8. De pane diſtribuendo inter pauperes familias Vrbis, mendicare erubeſcentes, & pauperes carceratos. Requiſita ſeruanda à dd. Viſitatoribus in viſitatione dictorum Pauperum.

Cap. 9. De

Cap. 9. *De omnibus carceratis, & his quæ illis ab Archiconfraternitate ſpiritualiter, & corporaliter ſubminiſtrantur.*

De carceribus Turris Nonæ ad Archiconfraternitatem pertinentibus.

De eleemoſyna Sancti Leonardi, quam recipit Archiconfraternitas, in carceribus Nonæ, Sabellis, & Burgi.

Cap. 10. *De officijs Notariorum criminalium ad Archiconfraternitatem ſpectantibus.*

De officio Soldonatus Turris Nonæ, & illius Notario.

De Officio criminali Notariatus curiæ Illuſtriſſimi D. Gubernatoris Vrbis.

De officio Notariatus ſcribendi in omnibus cauſis commiſſariorum extra curiam.

De pœnis à ſcutis decem auri in auro infra Charitati applicandis.

Cap. 11. *De infirmis tranſportandis ad hoſpitalia, & cadaueribus Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradendis, ac iſtorum Defunctorum ſuffragijs.*

Cap. 12. *De Monaſterio Conuertitarum Vrbis, ac ſubuentione, quæ illi pro Eleemoſyna ab Archiconfraternitate præſtatur.*

Cap. 13. *De Eccleſia Sancti Hieronymi Charitatis, & illius cultu, & bono regimine.*

Ordinationes ſeruandæ inter Sacerdotes, quoad diuinum cultum dictæ Eccleſiæ, & eorum cohabitationē.

Onera per Archiconfraternitatem in dicta Eccleſia adimplenda.

Cap. 14. *De coniugio 20. Puellarum, & a quibus Teſtatoribus proueniat, cum quantitate dotis eiſdem puellis concedendæ.*

Quæ ſint ſeruanda in viſitatione puellarum.

Cap. 15. *De Procuratore miſerabilium Pupillorum, & Viduarum à Io. Antonio de Sancto Petro, relicto illius officio, & Archiconfraternitatis patrocinio.*

Cap. 16. *De ſumptibus litium dictis miſerabilibus perſonis defendendis à Procuratore de Sancto Petro per Archiconfraternitatem ſubminiſtrandis.*

Pri-

Primæua inſtituta Charitatis. Cap. I.

INſtituta eiuſdem Archiconfraternitatis à primæua illius inſtitutione hæc erant.

1 Diſtributio Panis Pauperibus, & verecundis familijs.

2 Auxilium pauperum carceratorum, &

3 Delatio Infirmorum pauperum, & cadauerum, quæ per vias tunc miſerabiliter reperiebantur ad Hoſpitalia, & ad Eccleſiaſticas ſepulturas.

Quæ inſtituta non ſolum pij Confratres pro tempore ſunt exequuti, ſed illa Deo Optimo Maximo, à quo bona cuncta procedunt, concedente in dies ampliare, & alia pia inſtituta in eorundem pauperum, & miſerabilium perſonarum charitatem augere conati ſunt.

Inſtituta in quibus ſe nunc exercet Archicōconfraternitas Charitatis. Cap. II.

SEd quidem nunc eadem Archiconfraternitas, & illius pro tempore congregatio ordinaria, & Confratres in infraſcriptis pijs charitatis, & miſericordiæ operibus ſe exercet, modo, & ordine infra dicendo.

1 · Dan-

1 Dando panem pauperibus, & verecundis familijs, ac pauperibus carceratis.

2 Præſtando ſpirituale, & corporale auxilium pauperibus carceratis in omnibus Vrbis carceribus.

3 Curando deferri ad hoſpitalia pauperes infirmos, & ſepeliri defunctos etiam ſubmerſos, qui vel intra vel extra Vrbem miſerabiliter aliquando reperiuntur, & pro illorum animabus ſuffragia celebrando.

4 Subminiſtrando pro Eleemoſyna Monaſterio pauperum Conuertitarum ſcuta quinquaginta monetæ quolibet menſe.

5 Conſeruando inſtructam Eccleſiam S. Hieronymi cũ duodecim & amplius Sacerdotibus.

6 Dando eleemoſynam 20. pauperibus puellis, vt facilius ſe nuptui tradere valeant, &

7 Retinendo procuratorem qui cauſas orphanorum, & viduarum gratis tueatur, & defendat, & iſtis miſerabilibus perſonis ſumptus litis, vt eo facilius eorum Iura proſequi valeant, ſubminiſtrando.

Pro quorum operum faciliori executione eadem Archiconfraternitas habet particulares Superiores, & Deputatos, qui adminiſtrationi Archiconfraternitatis aſſiſtant, & dictis operibus, & inſtitutis pro tẽpore, ea, quæ par eſt, charitate diligenter incũbunt.

De Illuſtriſs. D. Cardinali Protectore, & modo illum eligendi. Cap. III.

EXtat illius Protector vnus ex Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis DD. Cardinalibus & illius eſt hodie Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. PETRVS tituli San-

cti Nicolai in Carcere S. R. E. Cardinalis Camerarius Aldobrandinus nuncupatus, cui Archiconfraternitas & illius pro tempore Reuerendiſſimi DD. Prælati, & Deputati, in omnibus, quæ ad benè pièq; dictam Archiconfraternitatem regendam pro tempore occurrunt recurrere, & illius protectionem, auxilium, & pietatem implorare poſſint.

Qui Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Cardinalis Protector de more ſolito à Congregatione generali viua voce, viuiſq; ſuffragijs, cum maximo omnium conſenſu atq; applauſu electus fuit.

De Reuerendiſsimis DD. Prælatis, & Officialibus Charitatis, & Monaſterij Conuertitarum. Cap. IV.

EXtant præterea duo Reuerendiſſimi DD. Prælati, vnus ad regimen Archiconfraternitatis, alter ad curam, & auxilium carceratorum, octo ex Confratribus, qui vocantur Deputati, & alij duo pro Syndicis, & iſti conſtituunt Congregationem particularem, & repræſentant totum corpus eiuſdem Archiconfraternitatis.

Et iſti Reuerendiſſimi DD. Prælati, Deputati, & Syndici licèt ex decreto Congregationis generalis, ſub die 2. Ianuarij 1555. ordinatum appareat, vt, quotieſcunq; Buſſula officialium eſſet finita, fieret Congregatio Charitatis, coram Illuſtriſſimo & Reuerẽdiſſimo Domino Cardinali Protectore, & ab ea eligeretur vnus ex Deputatis Monaſterij Conuertitarum, & ſimili modo fieret Congre-

gregatio Conuertitarum, coram eodem Illuſtriſſimo, & ab ea nominaretur vnus ex Deputatis Charitatis, qui ſic electi eſſent cum eodem Illuſtriſſimo in Congregatione generali Charitatis, & Illuſtriſſimus D. Cardinalis Protector vnà cum Reuerendiſsimo Domino Prælato Charitatis, & dictis duobus Deputatis eligerent, & nominarent quatuor alios Confratres de Congregatione generali & iſti omnes, videlicet Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Protector, Reuerendiſs. D. Prælatus, & dicti ſex Confratres facerent inſimul buſſulam Reuerendiſſimorũ Dominorum Prælatorum, & Officialium Charitatis, & Conuertitarum duraturam donec omnes in dicta buſſula exiſtentes eſſent extracti; Nihilominus ex rationabilibus cauſis à multis annis contraria obſeruantia inoleuit, per quam fuit alius modus in officialium electione ſeruatus.

Fuit enim aliquando à Congregatione ordinaria porrecta Illuſtriſſimo D. Cardinali Protectori liſta Reuerendiſſimorum Dominorum Prælatorum, & Confratrum ex quibus dicta buſſula fieri poſſet, & ex ea facta fuit.

Et aliquando ab ipſo Illuſtriſſimo Domino Cardinali Protectore, adhibitis ex Confratribus, perſonis, & numero ſibi beneuiſis, vnà cum iſtis fuit facta liſta Reuerendiſſimorum DD. Prælatorum, & Confratrum, qui ad dicta munera exercenda idonei viſi ſunt, & ex eis fuit facta buſſula.

Et ſic dicta Officialium electio, arbitrio & prudentia eiuſdem Illuſtriſſimi D. Cardinalis Protectoris pro perſonarum locorum, & munerum qualitate commiſſa remanet.

Buſſula autem dictorum Officialium diſtinguitur in infraſcriptas, vc3

Vna buſſula fit pro Reuerendiſsimis DD. Prælatis Charitatis.

Vna buſſula fit pro Reuerendiſsimis DD. Prælatis ad Carceres.

Vna pro Reuerendiſſimis DD. Prælatis Conuertitarũ.

Vna pro DD. Deputatis Charitatis.

Vna pro DD. Deputatis Conuertitarum.

Vna pro Syndicis.

Vna pro Viſitatoribus Infirmorum.

Et iſtæ buſſulæ (vt ex eis Officiales congruo tempore extrahi poſſint) in quadam capſula, penes Illuſtriſſimum D. Cardinalem Protectorem diligenter cuſtodiuntur.

De Congregationibus generalibus pluries in anno faciendis. Cap. V.

Congregationes generales cũ fuerint diuerſimodè ordinatę, & factę nam ſub die prima Ianuarij 1551. decretum fuit, vt fierent quatuor Congregationes generales quolibet anno in Eccleſia noſtra Sancti Hieronymi, vna in menſe Martij, ſecunda in menſe Iunij, tertia in menſe Septembris, vltima in menſe Decembris.

Et deinde ſub die 14. Iunij eiuſdem anni fierent quolibet menſe: ſed quia neutrum per multum tempus ſeruatum fuit, quia ſemel in anno Congregatio generalis fieri ſolebat.

Ideo ex decreto Congregationis generalis ſub die 8. Ianuarij 1598. cautum reperitur, quod fiant tres Congregationes generales quolibet anno, vna videlicet in mẽſe Ianuarij in die Dominico viciniori feſtiuitati Sancti Antonij, cum interuentu Illuſtriſſimi D. Cardinalis Pro-

Protectoris, omnium Officialium, & Confratrum,& aliȩ duæ abſq; interuentu dicti Illuſtriſſimi D. Cardinalis, ſed cum omnibus Reuerendiſſimis Dominis Prælatis, & Officialibus Charitatis & Conuertitarum, & Confratribus, vna videlicet intra octauam Paſchatis Reſurrectionis Ieſu Chriſti Dei & Domini Noſtri, & alia intra octauam Natiuitatis glorioſiſſimæ Deiparæ ſemper Virginis Mariæ.

Iſtæ Congregationes Generales præcipuè ordinatæ ſunt, vt ſtatus Archiconfraternitatis,& Monaſterij Conuertitarum omnibus Confratribus plenè, & diſtinctè innoteſcat, & vt ſæpius Confratres inter ſe in Domino cõgregati ardentius huiuſmodi ſancta inſtituta amplectantur,exequantur,& conſeruent,vt cõfirmatio,& noua electio officialium fieri, & tandem,vt Confratrum numerus per nouas admiſſiones in dies ad Dei laudem augeatur; Et in dicta Charitatis opera ſe exercere valeat.

Ideo in dicta Congregatione generali,quȩ cum interuentu Illuſtriſſimi D. Cardinalis Protectoris in menſe Ianuarij fieri ſolet præuia oratione, quæ in principio Congregationis recitatur.

Adhibetur in primis aliquis pius, & inſignus Sacerdos, & Concionator, qui eadem Charitatis inſtituta pro eius arbitrio recenſeat, & Confratres omnes ad illorum exercitium, exequutionem, & obſeruantiam cohortetur, & incitet.

✠ ✠ ✠ ✠ ✠
✠ ✠ ✠
✠

De

De Confratribus non admittendis niſi in Congregationibus generalibus & De qualitate Confratrum recipiendorum.

DEinde fit admiſſio nouorum Confratrum, qui admitti petant, ex quo nō niſi in generali Congregatione, recipiendi, & admittendi ſunt ex decreto alias deſuper ſub die 22. Aprilis 1554. in Congregatione generali celebrato.

Et tales admittendi ex decreto alterius Congregationis generalis ſub die 15. Iulij 1556. eſſe debent non ſolum probatæ vitæ, conditionis, & famæ, ſed Curiales, vel aduenæ, Familiares Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium, Officiales Romanæ Curię, Curiam ſequentes, in vſu Curiæ exiſtentes etiamſi ex priuilegio eſſent effecti Ciues Romani, eorumq; filij etiam nati in Vrbe in primo gradu tantum. Quod decretum fuit vſu & obſeruãtia ampliatum, quòd Reuerendiſſimi DD. Prælati recipiãtur, etiam ſi Romani ſint, & fuerunt indiſtinctè admiſſi in Congregationibus generalibus, Mulieres præterea admittendæ ſunt, quoad acquirendas Indulgentias, quatenus præſentes exiſtant ex alio decreto ſub die 12. Maij 1556.

Poſtea per Secretarium Charitatis ordinatè ſignificatur illud totum, quod in præcedenti integro anno, tam per alias duas Congregationes generales, quàm particulares, & ordinarias Congregationes geſtum eſt.

Deinde per Computiſtam Charitatis refertur ſtatus reddituum, & expenſarum Archiconfraternitatis, prout

refert

refert, etiam eundem ſtatum Monaſterij Conuertitarũ eius computiſta, &

Succeſſiuè Procurator Pauperum Carceratorum ab Archiconfraternitate deputatus refert numerum, & expeditionem Carceratorũ in omnibus Vrbis carceribus.

Et Procurator Viduarum,& Pupillorum recenſet etiã, ſi pro ſui muneris officio aliquid venit recenſeñ.

Quibus relationibus peractis, cum ad electionem Reuerendiſſimorum DD. Prælatorum, & Officialium, tam Charitatis, quàm Monaſterij Conuertitarum deueniendum ſit.

Solent Reuerendiſſimus Dominus Prælatus Charitatis, & Reuerendiſſimus Dominus Prælatus Conuertitarũ ſe ipſos, & DD. Deputatos ab eorum munere tanquam negligẽter peracto excuſare, & Reuerendiſſimus D.Prælatus librum Statutorum, claues capſularum Eccleſiæ, & quæſtorum,ac ſigillum Archiconfraternitatis pro officij ſui reſignatione Illuſtriſſimo D. Cardinali Protectori conſignare, qua reſignatione ſecuta.

Ad confirmationem eorum, qui confirmandi ſunt pro anno ex tunc proximo deueniri ſolet, & duo ſaltim ex Dominis Deputatis tanquam informati pro quolibet loco confirmantur, &

Vlterius ad nouam electionem Reuerendiſſimorum DD. Prælatorum Charitatis Carcerum, Conuertitarum DD.Deputatorum Syndicorum, & Viſitatorũ, ex dictis vrnis,ſeu buſſulis reſpectiuè,ordine ſupradicto pro ſequẽti anno extrahendorum, & deputandorum.

Qua officialium confirmatione, & noua deputatione ſecutis, Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Protector ad laudabilia Charitatis munera diligenter explẽda, ad frequentationem Sanctiſſimorum Sacramentorum omnes hortatur, & cum ſolita gratiarum actione Congregationem

nem generalem terminare ſolet.

In alijs verò duabus Congregationibus generalibus cum de officialium cõfirmatione, vel noua electione tractandum non ſit, alia omnia, quæ circa concionem admiſſiones Confratrum, & relationes dicuntur, ſeruanda ſunt.

De Congregatione ordinaria Charitatis. Cap. VI.

Congregatio ordinaria, quæ conſiſtit in dictis Reuerendiſſimis Dominis Prælatis Charitatis, & carcerum, DD. Deputatis, & Syndicis fieri ſolet quolibet die martis, vel alio eidem Congregationi bene viſo. Et pro faciliori ſui muneris exequutione, & complemento, fuerunt diuiſa inter Dominos Deputatos dicta onera, & munera, quæ eadem Archiconfraternitas piè, & laudabiliter exercet.

Et licèt ſub die 14. Ianuarij 1583. in Congregatione ordinaria ſtatutum fuiſſet, vt deputarentur tres Deputati quolibet menſe, quorum vnus carceres, alius officium Notariatus, & tertius Hoſpitalia reſpectu infirmorum illuc aſportatorum à Portitoribus Charitatis viſitarent, ex additione aliorum onerum, & vt dicti Deputati iam informati eorum munus eo melius exercere, & Congregationi referre poſſent, illos durante eorum deputatione ad particulare munus elegit, ordine infra dicendo.

De

De diſtributione inſtitutorum Charitatis inter DD. Deputatos. Cap. VII.

DVos deputat ad diſtributionẽ Panis.
Alios duos ad Carceres.
Duos alios ad curam Eccleſiæ Sancti Hieronymi.
Duos ad viſitandum bona ſtabilia.
Alios duos ad regimen hæreditatis de Sancto Petro.
Ex decreto ſub die 11. Auguſti 1597. &
Vnum ad ſuperintendentiam cauſarum Pupillorum, & Viduarum ex decreto, ſub die 20. Martij 1599.

Ad iſtam Congregationem ſpectat regimen, & cura Archiconfraternitatis, & illius inſtitutorum, & ideo ea qua poteſt maiori diligentia, & charitate illa exequi, & complere procurat, & vt negotia Archiconfraternitatis iuxta præordinatas Sanctiones, & decreta diſcutere, & terminare valeat, animaduertat.

Quòd ſub die 24. Nouembris 1577. cautum reperitur, quòd non poſſit fieri nouum decretum, ſuper re aliàs tractata, non viſo præcedenti decreto.

Quòd non poſſit fieri valida reſolutio, nõ facta diſcuſſione per fabas, id petente vno ex Dominis Deputatis, idemq; firmatum fuit, ſub die 4. Maij 1582.

Quòd in negotijs grauibus non poſſit fieri reſolutio, niſi cum interuentu Reuerendiſſimi D. Prælati, & quatuor Deputatorum, ex decreto, ſub die prima Martij 1594.

Quòd non poſſit deueniri ad electionem alterius officialis, officio non vacante ex decreto, ſub dicta die 24. Nouembris 1597.

Quòd Syndici vt interueniant in Congregatione habeat votum, ſed non adminiſtrationem ex decreto in Congregatione generali,ſub die 24.Ianuarij 1593.

Quòd in Congregatione retineri debeant duo libri,vnus certorum, & incertorum redditum in Summarium redacti, & litium Charitatis, Alius liber cauſarum viduarum, & Pupillorum, ex decreto ſub die 5. Maij 1598.

De pane dando pauperibus familijs verecundis Vrbis, & pauperibus carceratis. Cap. VIII.

EX primæuo charitatis inſtituto,ſemper fuit ſolita Archiconfraternitas diſtribuere eleemoſynas panis, in ſubuentionem pauperum mēdicare erubeſcentium, vt in Bulla ſuæ inſtitutionis, & ſubſequutis decretis vſq; ad dictum annum 1589. & ideo huiuſmodi pium, & laudabile inſtitutum, non ſolum ſeruauit,ſed in dies ampliauit, & auxit,fit enim diſtributio iſtius eleemoſynæ quolibet anno inter omnes Vrbis Regiones,illas diuidendo quolibet quadrimeſtri tertiam partem; & datur vlterius quolibet die Pauperibus carceratis vna die, videlicet Carceratis exiſtentibus in carceribus inferioribus Turris Nonæ, & alia eiſdem carceratis pauperibus in Curia de Sabellis, & quolibet die Sabbathi Pauperibus carceratis Curiæ Capitolij & Burgi.

Et pro aſſecuramento grani diſtribuendi fieri ſolet à

Con-

Congregatione ordinaria partitum in menſe Auguſti pro integro anno ſubſequenti pro viliori pretio, quod poteſt,& ſub pactis,& conuentionibus, quæ continentur in Inſtrumento cum Furnario fieri ſolito per acta noſtri Secretarij, quod omnino videñ eſt, &

Vt iſta diſtributio panis verè fiat inter Pauperes, & verecundas familias, vt ſpecialiter continetur, etiam poſt in decreto, ſub die 5. Octobris 1588. Ideo ad diſtributionem deueniri non debet, niſi præuia viſitatione, & approbatione ſaltèm vnius ex dictis Deputatis, qui pro qualibet Regione ad viſitandum, cum alio ex Confratribus Charitatis deputatur, qui Deputati, vt ea non ignorent, quæ in huiuſmodi viſitatione, ex decreto Congregationis, ſub die 30. Iulij præteriti fuerunt demandata, quæ in fine præſentis capituli regiſtrata reperiuntur.

Iſtis Pauperibus viſitatis, & ſic approbatis datur ſchedula ab eodem Viſitatore ſubſcripta, in qua nomen, locus habitationis, numerus filiorum, & quantitas panis dandi deſcribitur, & cum iſta ſchedula accedunt ad Oratorium noſtrum quolibet die Sabbathi, de mane, illisq; à duobus dd. Deputatis ad hanc diſtributionem deſtinatis, datur eleemoſyna in dicta ſchedula comprehenſa, & in ſchedula qualibet vice adnotatur, & tales pauperes ab eis benignè hortantur ad frequentiam Sanctiſſimorum Sacramentorum, ad honeſtè viuendum, & filios ad Doctrinam Chriſtianam, vt bonis, & Chriſtianis moribus imbuantur tranſmittendum, & reportandum ſignum per dd. Deputatos Doctrinæ Chriſtianæ dari ſolitum, quod ſignum dd. DD. Deputati Charitatis penès ſe qualibet vice in diſtributione panis, retinent,

vt Doctrinam Chriſtianam etiam ſub iſta ſpe perceptionis, vel amiſſionis eleemoſynæ frequentare debeant.

Huius diſtributionis regiſtrum Computiſta Charitatis retinere debet, & in eo regiſtrare, ante conſignationem ſchedularum omnia in dictis ſchedulis pauperibus per dictos Deputatos conſignandis, contenta, non ſolum vt computum diſtinctè (vt conuenit) per Congregationem ſemper videri; ſed vt facilius fraudibus, & amiſſionibus, quas dicti Pauperes de eiſdem ſchedulis originalibus faciunt, prouideri poſſit, & reperitur cautum in decretis aliàs, ſub diebus 25. Nouembris 1588. & 24. Auguſti 1589. celebratis.

Requiſita ſeruanda à Dominis Viſitatoribus in Viſitatione dictorum Pauperum.

AD euitandas fraudes, quæ committuntur à mulieribus, quando ſciunt venturam Viſitationem inſimul concordando, vt reperiantur conformes in relationibus quas DD. Viſitatores requirunt, poterunt dicti DD. Viſitatores cauti antequam domos, quas viſitaturi ſunt adeant, diligenter edoceri à perſonis fide dignis, & informatis de probitate, paupertate, numero, ſexu, & ætate filiorum familiæ viſitandæ, de patria, patris exercitio, & matris, & an mendicent, aut ſint tales,

quos

quos ob eorum conditionem, & qualitatem non pudeat mendicare, interrogantes præcipuè an eorum exercitio poſſint ſibi quærere victum, & omnia annotent breuiter in liſta iuxta infraſcriptum exemplum, v3

Filij quatuor, fœminæ tres annorum octo, pater Nurſinus mulio habens quatuor equos, mater Romana lotrix, reperiuntur in neceſſitate panis, ſunt Pauperes bonæ famæ.

Animaduertentes etiam multas familias hāc panis eleemoſynam quærere, non propter neceſſitatem, ſed potius ſuadentes hoc modo facilius conſecuturas dotes Archiconfraternitatum pro filiabus, nec tales admittendę ſunt ad dictam panis eleemoſynam.

Sicuti neque admitti debent ij, quibus ſunt duo tantum filij habentes patrem, & matrem ſanos, non habentes aliud onus, aut infirmitatem, vel aliud impedimentum, per quod ſint in neceſſitate conſtituti arbitrio DD. Viſitatorum.

Matricianæ, Caſcianæ, Nurſinæ, Aquilanæ, & ſimiles aptæ ad quærendum ſibi victum, & ad mendicandum ſinè eorum pudore nullo modo admittantur, ſi tamen non fuerint viduæ, valdè grauatæ familia, & in maxima neceſſitate, & non aliàs arbitrio tamen Congregationis.

Nulla inhoneſta, aut infamis, aut malæ vitæ admittenda eſt.

In coniugatis exprimatur nomen, & ars viri; in viduis nomen mortui viri, & proprium locum quem habitāt, quatenus illę non contineantur in liſta.

Admittantur filiæ fœminæ cuiuſcumque ætatis, maſculi vſq; ad duodecimum annum, & non vltra,

niſi

niſi ſint infirmi , aut inhabiles ad artem aliquam.

Peruenientes poſtea ad domos diligenter perſpiciãt iſtorum neceſſitatem panis , interrogando in ſpecie filios paruulos ſex , aut ſeptem annorum, ſeparatos ab alijs ſuper numero filiorum , eorum nomine, patris, & matris , & alijs circumſtantijs ; melius enim , & ſecurius poterunt ab iſtis dè veritate informari.

Illos hortentur ad frequentationem Sanctiſſimorum Sacramentorum,ad benè filios educandum , illosq; continuè tranſmittendum ad Doctrinam Chriſtianã , & de ſero ſemper recitari faciant Litanias , & Preces, orantes pro Summo Pontifice, neceſſitatibus S. R. E. pro Archiconfraternitate, & omnibus benefactoribus, prout dd. Viſitatoribus melius ſuggerere, & ordinare placuerit.

Rogando dd. Viſitatores in euentum alicuius difficultatis in viſitando, quòd illam in Congregatione referant,vt ab ea oportunè deſuper poſſit deliberari.

De omnibus carceratis , & his , quæ ſpiritualiter , & corporaliter ab Archiconfraternitate ſubminiſtrantur. Cap. IX.

NOn minus laudabile, & pium inſtitutum fuit auxiliari pauperibus carceratis , propter quod , & ipſe Romanus Pontifex Pius Papa IIII. ſanctæ memor. aliàs , & ſub die 20. Iunij 1563. Referente Illuſtriſſimo , & Reuerendiſſimo Do-

Domino Cardinali Morono Protectore, illi iniunxit, vt Carceres Turris Nonæ, pro maiori Carceratorum beneficio recipere, & retinere vellet, & ideo, vt eiſdem pauperibus Carceratis ſpiritualiter, & temporaliter ſubueniatur idem Charitatis inſtitutum inſequendo.

Quolibet die eiſdem Carceratis, Miſſam in omnibus carceribus proprijs ſumptibus & ornamentis, celebrari procurat, & in carceribus T. N. dicat quolibet die, quas Miſſas in carceribus Turris Nonæ per proprium Cappellanum Eccleſiæ noſtræ, & per Infermerium Archiconfraternitatis retentũ celebrari facit: In Carceribus de Sabellis per Cappellanum eiuſdem noſtræ Eccleſiæ: In carceribus Capitolij per fratres Beatæ Mariæ de Araceli: Et in Carceribus Burgi per fratres B. Mariæ Tranſpontinæ.

Vt omnes dicti carcerati debitis temporibus confiteri, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum percipere, & frequenter pijs Concionibus, & orationibus cõſolari poſſint, illis opportunè proprios Sacerdotes, & alias perſonas religioſas ſubminiſtrat, & aliunde procurat, &

Pro Carceratis infirmis in Carceribus Turris Nonæ habet Infirmariam, in qua retinet Infirmerium Sacerdotem, qui dietim in eiſdem Carceribus celebrat, confeſſiones audit, & alia Sacramẽta carceratis miniſtrat, qui Infirmerius habet adiutorem; extat Aromatarius, & Aromataria, qua mediante non ſolum de medicamentis prouident carceratis Nonæ, ſed carceratis de Sabellis, in quibus Domini dictorum Carcerum de Infirmerio, & alijs pro Infirmeria ad vſum infirmorum neceſſaria, de proprio prouidere tenentur.

Et

Et pro omnium carceratorum cura habet vlterius duos medicos Phyſicos, vnum pro Carceribus Nonæ, & Burgi, & alium pro carceribus de Sabellis, & Capitolij, & vnum Chirurgum, qui omnibus carceratis mederi, & inſeruire tenetur, & Carceratis tandem in eorum infirmitatibus, prout opus eſt ſpiritualiter, & corporaliter ſuccurrit.

Pro eorundem Carceratorum auxilio,& protectione particulariter deputatur vnus ex Reuerēdiſſimis DD.Prę-latis, qui in omnibus Carcerum viſitationibus pro Charitate aſſiſtit, & penes eorum Iudices illis pro iuſtitia fouet,& expenſas, victus, & alias expenſas factas in Carceribus, quas dicti pauperes Carcerati ſoluere non valent, pro illorum excarceratione nomine Charitatis, Cuſtodibus Carcerum,& quibus opus eſt ſubminiſtrat. Idemq; Reuerendiſſimus Prælatus viſitat carceres ſecretas ad ſui libitum abſq; interuentu alicuius Iudicis, vel ſubſtituti Fiſcalis, tam pro celeri ipſorum Carceratorum expeditione, quàm vt illis à Cuſtodibus Carcerum competentia alimenta ſubminiſtrentur.

Deputat etiam alios duos ex DD. Deputatis, vt dictum eſt, quorum ſpeciale munus eſt Carceres, & Carceratos pluries in menſe viſitare, & Carceratorum, & Infirmorum neceſſitatibus ſubuenire, & ea prouidere, quæ pro bono regimine, & cura eorundem Carceratorum, & carcerum ſunt opportuna.

Conſtituit Procuratorem, qui eorundem pauperum Carceratorum cauſas pro Charitate defendat,& cum dicto Reuerendiſſimo D. Prælato, & dd. Deputatis, tam in omnibus viſitationibus, quàm alibi, prout pro defenſione carceratorum, & Iurium Charita-

tis

tis, opus eſt, interueniat.

De carceribus T. N. ad Archiconfraternitatem pertinentibus.

CArceres Turris Nonę & officium Soldanatus ad Archiconfraternitatem ex titulo emptionis, & Apoſtolica authoritate pertinent, vt ex Motu proprio fęl. recordat. Pij Papæ V. ſub datum Romæ 13. Cal. Octobris Anno 1568. & ex alijs Literis Apoſtolicis Gregorij Papæ XIII. in forma breuis in Archiuio noſtro exiſtentibus, ſub datum die 7. Decembris 1584. ſolet Carceres locare pro reperibili penſione, & inter alia, quæ ſolet cum affictuarijs conuenire, eſt, vt teneantur ſeruare Taxas Superiorum factas, & quæ pro tempore fierent, prout in Inſtrumento, per eundem Secretarium noſtrum celebrato; Cuius Summarium impreſſum in Archiuio, & in carceribus affixum (vt omnibus pateat) reperitur, ad quod, pro pleniori informatione, recurrendum erit.

D De

De Eleemoſyna S. Leonardi Archiconfraternitati debita in omnibus Vrbis Carceribus.

HAbet Archiconfraternitas vltra affictum Carcerum Turris Nonæ etiam eleemoſynam nuncupatam Il Santo Leonardo, & illi debetur in omnibus dictis Carceribus, & ſoluitur à Carceratis, qui non ſint relaxati gratis, tempore eorum relaxationis, hoc modo à Carcerato, qui eſt ſimpliciter, & abſque eo, quod gratis, vel in forma pauperum ſit relaxatus, recipit Charitas pro quolibet Carcerato Iulium vnum, & medietatem pro eo, qui eſt relaxatus in forma pauperum, & hanc eleemoſynam conſeruat Capitaneus Carcerum pro Charitate, cui illam quolibet anno reſtituit, vel pro rata compenſat cum eleemoſynis, quas eiſdem Capitaneis Carcerum Reuerendiſſimus Dominus Prælatus Carcerum Charitatis pro pauperibus carceratis ſoluere promiſit.

*

* *

* * * *

* *

*

De

De officijs Notariorum Criminalium ad Archiconfraternitatem ſpectañ. Cap. X.

HAbet præterea noſtra Archiconfraternitas tria officia Criminalia Notariatus; vnum Soldanatus T. N. cum carceribus annexum, aliud Tribunalis Illuſtriſſimi D.Gubernatoris Vrbis, & tertium officium ſcribendi in omnibus cauſis, in quibus pro tempore Commiſſarij extra Romanam Curiam expediri ſolent.

De officio Soldanatus Turris Nonæ & illius Notario.

IVriſdictio Soldanatus, & officium Notarij fuit Congregationi applicata in conceſſione carcerum Turris Nonæ, vigore dicti Motus proprij Pij Papæ V. de anno 1568. & ideo fuit ab inde ſolita Archiconfraternitas deputare dictum Soldanum, & illius Notarium, & Officium Notariatus locare, prout in pluribus literis patentibus, deputationibus, & locationibus inter inſtrumenta Secretarij apparentibus, continetur.

De officio criminali Notariatus Curiæ Illuſtriſsimi D.Gubernatoris Vrbis.

Officium Notariatus Criminalis Tribunalis Illuſtriſſimi Gubernatoris fuit, de Anno 1555. per Summum Pontificem, in Archiconfraternitatem ex titulo tamen venditionis collatum, pro abolendis extorſionibus, in fauorem pauperum ex relatione per Illuſtriſſimum D. Cardinalem, tunc Protectorem, facta in Congregatione generali, ſub die 25. Auguſti dicti anni, & ideo ad tollendum potiſſimum dictas extorſiones; à charitate, acquiſitum fuit, ſub die 9.Octobris, & 30. Decembris 1555. prout in inſtrumentis,& conceſſionibus in Archiuio exiſtentibus; fuit iſtud officium à principio in adminiſtrationem cōceſſum, ſub diebus 17.Ianuarij 1556.,2.Iulij 1559. & 18. Martij 1569. ſed ob temporum mutationes, tutius pro charitate illud locare viſum fuit, prout locatum reperitur vna cum alio officio ſcribendi in cauſis commiſſariorum, tanquam ab iſto Gubernatoris ſatis dependente in Inſtrumento affictus extant pacta, capitula, & conuentiones maturè cōſideratæ, quæ ſi à Notario affictuario ſeruantur, prout tenetur, nihil reſtat, quod deſuper (rebus ſic ſtantibus) vlterius animaduertendum ſit.

*

De officio Notariorum ſcribendi in omnibus cauſis Commiſſariorum extra Curiam.

OFficium ſcribendi in cauſis Commiſſariorum pro tempore extra curiam expediendorum; fuit per Sanctæ me. Piũ Papam V. Archiconfraternitati confirmatum per breue, ſub die 16. Septembris 1566. expeditum mandatum mediante retroceſſione ad fauorem Archiconfraternitatis facta per Andream de Graſſis, qui idem officium in præiudicium officij noſtri, Tribunalis Gubernatoris ab eodem Sanctiſſimo (pręter Sanctitati ſuę intentionem impetrauerat) quod officium, cum ſit valde dependens à d. alio noſtro officio Gubernatoris, ex quo vt plurimum tales Cõmiſſarios expedire ſolet, ideo fuit cum illo cõiunctim locatũ eidem notario noſtro Charitatis, qui exercet officium Notariatus Illuſtriſſimi D. Gubernatoris.

De pœnis à ſcutis decem auri infra Charitati applicañ.

EX particulari Indulto Archiconfraternitati conceſſo per ſanctæ mem. Pium Papam IIII. Anno Primo ſui Pontificatus in ſubuentionem piorum operum, quæ erga pauperes, aſſiduè exercet; applicauit eidẽ Archiconfraternitati omnes pœnas

pro

pro tempore ab omnibus Vrbis Tribunalibus in cauſis criminalibus à ſcutis x. auri in auro, infra applicañ, quæ pœnæ potiſſimùm Charitati applicantur ab Illuſtriſſimo D. Gubernatore, Senatore, Vicario, & Soldano, & ideo pro illarum conſequutione debet Procurator Charitatis pęnès Notarios, per quorum acta fiunt dictæ applicationes, inſtare.

De delatione Infirmorum ad Hoſpitalia, & mortuorum ad Eccleſiaſticas ſepulturas. Cap. XI.

CVra deferendi pauperes Infirmos, ad hoſpitalia, & defunctos ad Eccleſiaſticas ſepulturas, ex dictꝰ primæuo Archiconfraternitatis inſtituto ad ipſam pertinet; & ideo ad hunc effectum retinet duos portitores ſtipendiatos, qui dictos pauperes Infirmos ad hoſpitalia gratis deferre tenentur, & mortuos etiam intra carceres morte naturali, & alia cadauera, quæ vel ſubmerſa, vel alias intra, vel extra Vrbem inſepulta reperiantur ad Eccleſiaſticam ſepulturam aſportare, quæ (vt eo decentius fiant) illis luminaria, & alia, quæ in ſimilibus (ex Chriſtiano ritu requiruntur) de ſuo Charitas ſubminiſtrat.

De iſtorum Defunctorum ſuffragijs.

ET iſtis pauperibus nō ſolum de Eccleſiaſtica ſepultura prouidet; ſed ex decreto, ſub die 10. Decembris

bris 1602. celebrato, mandauit in Altari Priuilegiato noſtræ Eccleſiæ pro ſalute animæ cuiuſlibet eorum, vnam Miſſam celebrari, & huiuſmodi onus in tabella ſolita, vt ſtatim exequutioni demandetur annotari, prout annotatum fuit.

De Monaſterio Conuertitarum Vrbis, ac ſubuentione, quæ illi pro eleemoſyna ab Archiconfraternitate præſtatur. Cap. XII.

MOnaſterium Conuertitarum ex pecunijs Charitatis fuit pro maiori parte conſtructum, vt ex pluribus ſubuentionibus illi per Archiconfraternitatem in diuerſis temporibus ſubminiſtratis apparet, & illius Cura, & regimen tã per fęl. record. Leonem X. & Clementem VII. quàm Paulum Papam III. Archiconfraternitati noſtræ, & illius pro tempore confratribus, commiſſa fuit; Et ideo tam Reuerendiſſimus D. Prælatus, quàm illius pro tempore Deputati creantur ex eiſdem Confratribus Charitatis, tempore quo & Reuerendiſſimi DD. Prælati, & officiales Charitatis in eius Congregatione generali eliguntur; Habita igitur per Archiconfraternitatem matura conſideratione miſerabilitati huius loci Pij illi ſemper manus adiutrices porrexit, & à multis annis citra, illi in ſubuentionem & pro eleemoſyna quolibet menſe ſcuta 50. monetæ ſubminiſtrauit, & ſubminiſtrat,

quæ

quæ eleemoſyna cum non ex obligatione, ſed ex ſpontanea charitate ſit inducta, ab arbitrio eiuſdẽ Congregationis Charitatis dependet, & illam augere,& decreſcere, & annullare poteſt,vt pro ſtatu, viribus, & voluntate Archiconfraternitatis, & neceſſitate dicti Monaſterij melius eidem Archiconfraternitati videbitur expedire.

De Eccleſia S. Hieronymi, & illius cultu, & gubernio. Cap. XIII.

ECcleſia S. Hieronymi fuit aliàs per eundem Clementem Papam VII. ſan. mem. Archicõfraternitati noſtræ conceſſa, ſub die 10. Octobris 1524. prout in eius Literis Apoſtolicis in Archiuio noſtro exiſtentibus continetur: pro huius Eccleſiæ cura, regimine, & adminiſtratione fuerunt per Congregationem, pro tempore plura ordinata, & ex his non fuerunt hic, ea prætermiſſa, quæ ad præſentem eiuſdem Eccleſiæ ſtatum conuenire videntur, vt iuncta alijs ordinationibus,inter Sacerdotes ſeruãdis,& oneribus, ex pia teſtatorum, & aliorum benefactorum diſpoſitione adimplendis inferius annotatis,Diuinus ille cultus indies augeri, vel ſaltim conſeruari debeat, qui in eadem Eccleſia, ſemper DEI benignitate floruit, ex præcipua religioſa vita religioſiſſimi P. Philippi Nerei, & aliorum Patrum, qui primæuam deuotionem, & pietatem, quam longo annorum curſu

in

in Eccleſia noſtra piè, & laudabiliter conuiuendo multis eorum Orationibus & vigilijs acquiſitam; ita copiosè in alias Eccleſias ad omnium fidelium vtilitatem, & ſpiritualem letitiam diffundere potuerunt.

Fuit ab eadem Archiconfraternitate iſta Eccleſia proprijs & piorum Benefactorum ſumptibus pro maiori parte de nouo conſtructa & ædificata, & paramentis, organo, & alijs ad Diuinum cultum pertinentibus munificentiſſime exornata, & pro eiuſdem diuini cultus ornatu, ac fidelium ad eam confluentium ſpirituali commodo in ea retinet duodecim Sacerdotes Cappellanos, ad nutum Congregationis amouibiles, illisq; non ſolum de competenti mercede, & habitatione, ſeruitio, coquina, & coquo, alijsq; commoditatibus prouidet; ſed inter eos annuam eleemoſynam ſcutorum ſexaginta pro perdonis faciendis pro anima quondam D. Camillæ de Oddis ex decreto Congregationis ſub die 7. Iulij 1597. diſtribui mandat, vt eo libentius, commodius, & honorificentius Deo, & Eccleſiæ inſeruire ſtudeant, & piæ dictæ teſtatricis voluntati melius ſatisfieri poſſit.

Vltra dictos duodecim Cappellanos, extant in eadem Eccleſia, & domo Sancti Hieronymi alij duo Sacerdotes exemplaris, & probatæ vitæ, qui gratis in ea celebrant, & in ea etiam Verbum Dei prædicant, & Sanctiſſima Sacramenta adminiſtrant.

Valde cuperet Congregatio, vt dicti Patres in communione viuerent, prout etiam alias ſub die 17. Ia-

nuarij 1557. pro honore Archiconfraternitatis loci & ipſorum à Congregatione generali demandatum fuit.

Non poſſunt iſti Cappellani durante eorum ſeruitio interuenire in Congregatione Charitatis, tanquam deputati, ex decreto Congregationis generalis ſub die 22. Aprilis 1554.

Mandauit Congregatio ſub die 26. Martij 1582. vt dicti Cappellani qualibet hebdomada, Carceres ad effectum confitendi Carceratos viſitarent, & ideo etiam huius piæ ordinationis reminiſcantur.

Et quia ex forma dictæ Conſtitutionis Clementis Papæ VII. conceſſionis dictæ Eccleſiæ ſunt in ea dicendæ octo Miſſæ quolibet die; extat ſub die 26. Martij 1582. declaratio quod ex eis quinque dicantur per proprios Cappellanos, & aliæ tres, per Sacerdotes forenſes ibidem celebratæ, dicto oneri ſatisfaciant.

In feſto Purificationis Beatæ Mariæ, ex decreto ſub die 31. Ianuarij 1582. facto, ſunt diſpenſandæ lib. 25. ceræ in Eccleſia, quod decretum cum fuerit intermiſſum de nouo poterit illius exequutio demandari.

Ad Eccleſiæ curam aſſiſtunt duo ex Dominis Deputatis Congregationis, quorum munus eſt, omnia, dictam curam concernentia diligenter animaduertere, Congregationi ſignificare, & exequi facere. Et ideo ex decretis Congregationum, ſub diebus 27. Ianuarij 1598. & 14. Aprilis 1599. inter alia debent penes ſe habere vnum ex duobus libris onerum Eccleſiæ, quorum alterum retinet penes ſe Sacriſta, & illa

à qui-

à quibus opus fuerit exequutionem procurare.

Ex rationabilibus cauſis mota Congregatio ſub die 3. Decembris 1602. facto etiam verbo cum Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino Cardinale Protectore mandauit, quod in admiſſione Sacerdotum ad ſeruitium Eccleſiæ præcedat edictum affigendum, ad oſtium Eccleſiæ, & Domus Sancti Hieronymi, per quod (Sacerdotibus accedere volentibus) innoteſcat vnum, vel plures in Eccleſia locos vacare, & valeant dd. Deputatis Eccleſiæ pro tempore eorum nomina, & qualitatem ſignificare, vt præuia DD. Deputatorum relatione, qui melioris qualitatis, conditionis, vitæ, & famæ inter ipſos fuerit repertus recipiatur.

Et, vt præmiſſa, & alia, quæ pro bono dictæ Eccleſiæ, & Sacerdotum regimine ſeruanda, & onera, quæ in eadem Eccleſia adimplenda ſunt, innoteſcant, ſeruentur, & adimpleantur. Ideo fuerunt inferius hic opportunè regiſtrata.

Ordinationes ſeruandæ inter Sacerdotes circa Diuinum cultum, & eorum cohabitationem.

1 QVilibet Cappellanus, videlicet vnus ipſorum ſit hebdomadarius cum onere communiter cæteris hebdomadarijs competente, qui ad ſepelliendum mortuos vocatus ire teneatur & incipiatur ab antiquiore.

2 Quando celebratur Miſſa ſolemniter hebdomadarius præteritus cantet Euangelium: futurus verò Epiſtolam. Et ſi is qui celebrat, exterus eſt, hebdomadarius modernus cantet Euangelium, & futurus Epiſtolam.

3 Qualibet hebdomada vnus ex prædictis Cappellanis ſit Cantor, & incipiatur ab antiquiore excepto Sacriſta. In diebus verò ſolemnitatum duo ſint Cantores, videlicet præſens hebdomadarius, & ille qui ſequitur in hebdomada futura, ſed quando ſolus eſt, nullus alius in intonando ſe intromittat, ſi ipſe hebdomadarius hoc officium præſtare ritè per ſe poteſt.

4 Nullus ex dictis Cappellanis, ſub pœna priuationis officij, audeat in alia Eccleſia, præterquàm in noſtra, confeſſiones audire, nec alia Sacramenta miniſtrare, præterquàm in caſu neceſſitatis ſine ſpeciali licentia DD. Deputatorum pro Eccleſia.

5 Nullus Cappellanus mulierum confeſſiones audire poſſit alibi, quàm in Confeſſionalibus poſitis in nauibus Eccleſiæ.

6 Omnes eleemoſynæ pro Miſſis celebrandis ſint & eſſe debeant Cappellanorum pro rata cuiuſque & in fine cuiuſlibet menſis æqualiter diuidenda, declaratur tamen vt in primis ex dictis eleemoſynis debeat ſolui Clerico ſubſacriſtæ bononenum vnum pro quolibet iulio in capſa reperto.

7 Omnes Cappellani, & Clerici obediant Sacriſtæ in omnibus concernentibus celebrationem diuinorum officiorum, & ſeruitutem Eccleſiæ.

8 Presbyteri Cappellani pro tempore exiſtentes ſint idonei ad confeſſiones peccatorum audiendas niſi aliter ſuperioribus pro tempore, ex aliqua legitima cauſa, expedire videbitur.

9 Ijdem abſtineant ne in futurum accipiant eleemoſynas pro Miſſis celebrandis, ſi re ipſa eas celebrare non poſſunt, ſuper quo eorum conſcientias oneramus.

10 In Eccleſia ordine omnia fiant, præſertim in celebratione Miſſarum, quas Cappellani non eodem tempore, ſed ſigillatim vnus poſt alium celebrare debeant.

11 Cappellani quo tempore Choro inſeruire debeat, pœnitentium confeſſiones non audiant, nec aliud quicquam ceſſante neceſſitate extra Chorum agant ſine licentia ſpeciali.

12 Neq; in Choro, aut apud Altare unquàm confeſſiones audiantur.

13 Nullus præterea Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramen-

men-

mentum audeat in noſtra Eccleſia miniſtrare, niſi ſit ex domeſticis Sacerdotibus, aut aliàs approbatus, aut de licentia noſtrorum Superiorum.

14 Cappellani caueant ne introitum Miſſæ ſolemnis in Choro cantare incipiant antequàm Sacerdos celebraturus ſit omninò paratus.

15 Caueant prætereà ne de aliorum actionibus murmurent vel ſuſurrent, ſed ſint modeſti inuicem ſe ſupportantes.

16 Cappellani in Choro eodem tempore ſurgant & ſedeant, & vnuſquiſque in canendo ſuo muneri ſatisfaciat.

17 Hebdomadarius intonando vocem non ita extollat, vt alij eum proſequi nequeant, ſed omnes ſimili voce, & corde Deum reuerenter collaudent.

18 Curent Cappellani magis commodum fidelium ad Eccleſiam confluentium, quàm proprium, circa horam celebrandi, & ideo nullus celebret niſi vocatus à Sacriſta, & quando Miſſa ſolemnis eſt cantanda, nullus eo tempore celebret in Altari maiori. ijdem Cappellani Sacerdotibus extraneis locum benignè in celebrando concedant, & ipſi interea expectent ne plures, quàm opus ſit, ſimul ad celebrandum egrediantur.

19 Cappellani cum Choro inſeruiunt, ſuperpelliceis ſeù Cottis ſint induti, ac ſimiliter cum audiunt confeſſiones præſertim diebus Feſtiuis.

20 Diebus quibus non ieiunatur in principio tertiæ Miſſæ, qua in Altari maiori celebratur, detur pri-

primum ſignum pro Miſſa conuentuali: Euangelio autem recitato, detur ſecundum, peracta verò communione detur vltimum ſignum, ita vt in fine Miſſæ tertiæ, omnes ſint parati ad eam Miſſam conuentualem decantandam.

21 Omnes Miſſæ conuentuales celebrentur cum Diacono & Subdiacono exceptis Miſſis defunctorum, quæ ſingulis hebdomadis ex obligatione decantantur.

22 Caueant etiam Cappellani ne aliquem ad habitandum in domo Sancti Hieronymi abſq; ſpeciali licentia Dominorum Deputatorum introducant.

23 Nullus præterea Cappellanus exeat de nocte niſi vrgente neceſſitate & aſſumpto ſecum ſocio aliquo ex collegis ſuis.

24 Qui primam Miſſam eſt celebraturus, maturè ſurgat, ne vltra tempus præſcriptum, officium ſuum differat, & eodem tempore Clerici omnia parent, campanas pulſent ſicut ei à Sacriſta fuerit præſcriptum, cui in omnibus ſub debita coertione ſedulo ſtudeant obedire.

25 Pueri nulla ratione dormiant in clauſtro etiam ij, quos Sacerdotes docent, neq; ijdem interdiu ludant, vt omnis ſtrepitus à domo Sacerdotum arceatur. Clerici verò qui habitant in clauſtro diligenter munus ſuum obeant, nec vnquam de nocte exire præſumant, & quando foris pulſantur, cum omni celeritate accurrant.

26 Sacriſta non permittat aliquem ſepeliri in noſtra Eccleſia, niſi cum expreſſa licentia DD. Deputatorum Eccleſiæ pro tempore exiſtentium.

27 Sa-

27 Sacriſta cum aliquem Clericum ad Eccleſiam pro illius ſeruitio admitti proponit eum Deputatis Eccleſiæ præſentet, qui ſi qualitates neceſſarias habere inuenerint poſt diligentem de vita, & moribus informationem illum cum reliquis admitant.

28 Sacriſta ad Eccleſiam primus conueniat, & poſtremus recedat vt Miſſas, quo tempore celebrari debeant, opportunè diſponere poſſit.

29 Idem Sacriſta diligenter notet, ſeù punctet ex Cappellanis omnes, qui tempore debito à Choro abſuerint, hac tamen moderatione adhibita, vt qui per totum diem abſuerint, iulium pro pœna ſoluat, & ita Sacriſta iuret obſeruare.

30 Præterea curent Cappellani principio diuinorum ſemper intereſſe, ſub pœna quinque bolonenorum intereſſentibus applicanda: & ſi ad Miſſam ante primam collectam quis conueniri tardauerit, aut ad Veſperas poſt primum Pſalmum quinque bolonenos amitat, ſimiliter intereſſentibus applicandos. Quod ſi Sacriſta punctare omiſerit eadem pœna ipſe mulctetur vltra periurium, quod incurret.

31 Sacriſta ſi quid quod ad Sacriſtiam pertinet, deperdat, de ſuo tantumdem Eccleſiæ reſtituat.

32 Prima Miſſa ſemper in ortu ſolis dicatur.

33 Sacriſta & Subſacriſta, Eccleſiam, ac domum diligenter perluſtrent, aquaſq; ſanctas tectas conſeruari ſtudeant, & cum reparatio aliqua eſt neceſſaria de ea moneant Proueditorem, aut ad id pro tempore deputatum.

34 Sub-

34 Subſacriſtæ officium ſit claudere portam clauſtri cum claue quolibet ſero hora ſecunda noctis in hieme, æſtate verò prima, & conſignare clauem ſacriſtæ, qui apud ſe illam omninò retineat, & eandem portam in aurora reſerare, nec vllus aliam clauem dictæ portæ habere permictatur, idem quoque Subſacriſta quotidie hora conſueta mane, & veſpere, & meridie' ad Aue Maria, campanam pulſare teneatur.

35 Caueat inſuper Sacriſta, & quiuis Sacriſtę inſeruiens ne quid extra Domum accommodet, & etiam ad breue tempus, abſq; licentia Deputatorum, quod ſi ſecus fecerit arbitrio Prælati ſeuerè puniatur.

36 Sacriſta præparet ad præfectum Chori Pſalterium, Antiphonarium, Graduale, & alios libros in Choro, & priuſquàm Chorum ingrediatur parata, & adnotata habeat, quæ decantanda ſunt Breuiarium, Miſſale, & ordinem diuini officij antea perlegendo.

37 Idem veſtes, & res ſacras ſummo mane, & alia diuinis officijs, & Miſſarum ſolemnia celebrandis neceſſaria ſuo tempore paret.

38 Idem Sacriſta curet, vt Eccleſia, & Altaria ſæpius à puluere, & ſordibus expurgentur, & mundæ habeantur, ac vt corporalia, & pallæ, mundę, & nitidæ ſint, necnon ſuperpellicea, tobaliæ, amictus, & alba frequentius lauentur. Aquam benedictam ſingulis Dominicis diebus mane benedicat, & in ſuis vaſis reponat.

39 Quoties in Eccleſia ſuo tempore defuerint hoſtię, aut particulæ pro communione fidelium con-

ſecrandæ, ac vinum optimum pro Miſſis, aut carbones pro Sacriſtia, & thuribulo debito tempore toties Sacriſta Iulium vnum amittat.

40 Idem diebus Sabbati, & qualibet vigilia alicuius ſolemnitatis prȩſto ſit in Eccleſia cum ſuis Clericis ad eam illiusq; Altaria mundanda, & diligenter ornanda, vt omnia ſollicitè proſpiciat, atq; prouideat.

Onera per Archiconfraternitatem in Eccleſia adimplenda.

EX. conceſſione Eccleſiæ, & ordinatione fel. rec. Clementis Papæ VII. fundatoris huius Archiconfraternitatis, & de eius mandato quotidie in dicta Eccleſia celebrentur octo Miſſæ planæ. Dominicis verò, & alijs Feſtiuis diebus Miſſa ſolemnis, & parata cum Veſperis &c. Completorio in Choro.

Item pro anima dicti Clementis VII. fundatoris feria vj. magis proxima die 25. Septembris celebretur Miſſa vnà cum cantu, & Diacono, & Subdiacono ritu ſolemni. Et qualibet ſecunda Feria cuiuſlibet hebdomadæ Miſſa vna ex currentibus.

Pro anima D. Petri de Foreſta, Magdalenæ Stampæ eius Vxoris, & aliorum ſuorum defunctorum quotidie celebretur vna Miſſa ex inſtituto Eccleſiæ currente.

Item prima hebdomada Septembris pro eiſdem, nec

non

non qualibet prima hebdomada menſium Octobris, Nouembris, & Decembris fiat anniuerſarium cum Miſſa ſolemni.

Pro animabus omnium Confratrum, & benefactorum qualibet ſecunda feria cuiuſlibet hebdomadæ celebretur Miſſa vnà cum cantu, & in die Feſti Sancti Hieronymi poſt eius Veſperas cantentur veſperæ mortuorum pro animabus dictorum Confratrum. Die verò ſequenti 5. Kal. Octobris dicatur Matutinum, ſeu Vigilia Defunctorum, & poſt illud Miſſa ſolemnis Diacono, & Subdiacono de more miniſtrantibus cum abſolutione ad tumulum, & cæremonijs conſuetis, & fiat diſtributio candelarum Cappellanis, & Confratribus Archiconfraternitatis intereſſentibus, quod ſi Kal. ipſæ in diem Dominicam inciderint tunc veſperæ mortuorum dicantur poſt veſperas Dominicæ, & altera ſequenti die quæcunque ad Anniuerſarij celebrationem pertinent, vt dictum eſt, accuratè fiant, & celebrentur triginta Miſſæ paruæ pro ijſdem Confratribus, & qualibet Feria ſexta poſt Commemorationem omnium Defunctorum primo occurrente celebretur Miſſa cum cantu, rituq; ſolemni.

Die 6. menſis Septembris cuiuſlibet anni in perpetuum celebretur vna Miſſa plana pro remiſſione peccatorum Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Ioannis Baptiſtæ Arcimboldi dum vixerit; & poſt eius obitum dicatur Miſſa plana in Altari Priuilegiato dictæ Eccleſiæ pro anima ſua quolibet anno in die dicti ſui obitus.

Pro anima D. Ioannis Antonij de Sancto Petro quotidie celebretur Miſſa vna ex currentibus ad Al-

tare Sancti Petri in dicta Eccleſia.

Pro D. Horatio Spada qualibet die celebretur Miſſa vna de Beata Virgine cum Commemoratione Spiritus Sancti, & Defunctorum.

Pro D. Ioanne Antonio Curto quotidie Miſſa vna ex inſtituto Eccleſiæ celebranda, & pro eodem, & aliorum ſuorum defunctorum quolibet anno die 17. Nouembris celebretur Anniuerſarium cum ſeptem Miſſis paruis.

Pro anima D. Ioſephi Marſupini, & ſuorum &c. qualibet ſecunda feria cuiuſlibet hebdomadæ celebretur Miſſa vna parua ad Altare Priuilegiatum, & die 16. Decembris cuiuſlibet anni, celebrentur tres Miſſæ.

Pro anima D. Petripauli Tecozzij de Fabriano qualibet ſecunda feria cuiuſlibet hebdomadæ, celebretur vna Miſſa.

Pro anima D. Luciæ de Nucerellis qualibet hebdomada cuiuſlibet menſis ad Altare Beatæ Virginis ad dexteram ab ingreſſu dictæ Eccleſiæ exiſtentis, celebrentur Miſſæ duæ pro Defunctis.

Pro anima D. Franciſci de Acre Scriptoris Apoſtolic qualibet hebdomada cuiuſlibet menſis celebretur Miſſa vna.

Pro anima bo.me. Reuerendiſſ. Antonij Lomellini Protonotarij Apoſtolici quolibet menſe celebrentur Miſſæ triginta Sancti Gregorij, & pro eodem die 12. Maij, quo ex vita migrauit, celebretur anniuerſarium cum ſeptem Miſſis paruis.

Pro anima D. Alphonſi Verderotti quolibet menſe in feria tertia Miſſa vna, in qua ſpeciatim fiat commemoratio pro anima Didaci de Zeneſtada Hiſpani Procuratoris Contradictarum.

Pro

Pro anima Annæ Velalquez,& ſuorum,celebrentur Miſſæ tres quolibet menſe.

Pro anima D. Iacobi Suarez Hiſpani prima ſexta Feria cuiuſlibet menſis non impedita Miſſa vna.

Pro anima Ioannis Suarez ſexta feria primo occurrente cuiuſlibet menſis Ianuarij poſt octauam Epiphaniæ celebretur Miſſa vna plana.

Pro anima bo. me. Reuerendiſſ. Iacobi Corteſij Epiſc. Vaſioneñ.& Patriarchę Alexandrini in ferijs quintis incidentibus infra ieiunium Quatuor Temporum,fiat officium anniuerſarium,cum Miſſa decantata, & quilibet Cappellanus Miſſam vnam pro eodem celebret, & infra octauam omnium Sanctorum pro eodem fiat anniuerſarium.

Pro anima R. D. Scipionis Rubei celebretur Miſſa ſolemnis cum decem Miſſis paruis ad Altare Priuilegiatum de menſe Nouembris.

Pro anima Ill. D. Camillæ Gonzagæ prima feria poſt Purificationem fiat anniuerſarium, & die 10. Iulij cuiuſlibet anni celebretur anniuerſarium cum Miſſa ſolemni.

Pro anima q. Pompei Spetiani Mediolaneñ. & eius propinquorum die 23. Martij, &

Pro anima D. Ioannis Baptiſtæ Spetiani, & eius filiorum Mediolaneñ. die 29. Octobris cuiuſlibet anni fiat anniuerſarium cum Miſſa parata,& alijs Miſſis omnium Cappellanorum.

Pro anima D.Alexādri Rabiti phyſici Siculi die decima Aprilis cuiuſlibet anni celebretur vnum anniuerſarium ſolemne cum Miſſis paruis.

Pro anima D. Philippi de Agnellis die 13. Auguſti cuiuſlibet anni non impedita celebretur Miſſa vna cum cantu, & 30. aliæ ſine cantu.

Pro

pro anima D. Camillæ Cordonillæ de Oddis celebrentur Miſſæ 30. Sancti Gregorij in menſe Decembris cuiuſlibet anni.

Pro anima cuiuſlibet, qui exiſtens deputatus Charitatis obierit, in die dicti eius obitus celebrentur quinque Miſſæ ad Altare Priuilegiatum, in die verò obitus pro anima cuiuslibet alterius Confratris prædictæ Archiconfraternitatis non deputati, dicantur Miſſæ tres; ex Decreto Congregationis Generalis.

Pro anima cuiuslibet eorum, qui mediantibus Portitoribus Archiconfraternitatis Eccleſiaſticæ ſepulturæ traduntur, dicatur vna Miſſa in Altari Priuilegiato.

Quando præſtituta eſt certa dies celebrationi alicuius Miſſæ pro Mortuis ſi Dominica, vel Feſto duplici fuerit impedita, tunc prima ſequenti die non impedita celebretur.

De

De coniugio 20. Puellarum, à quibus teſtatoribus proueniat cum quantitate Dotis eiſdem Puellis concedendæ. Cap. XIIII.

EX pia plurium Teſtatorum diſpoſitione, à multis annis conſueuit Archiconfraternitas dotare pauperes Virgines, illisq; diuerſas eleemoſynas conſtituere, prout à dictis teſtatoribus relictæ fuerunt; Fit huiuſmodi coniugium in die Feſto Sancti Hieronymi, & de præſenti anno fuit numerus dictarum Puellarum auctus ad 20. ex infraſcriptis Pijs diſpoſitionibus.

4 Ex Teſtamento Reuerendiſſimi Domini Prothonotarij Lomellini per Acta D. Ioannis Baptiſtæ Sellæ ſub die vltima Aprilis 1569. condito dotantur quatuor Virgines, cum eleemoſyna ſcutorum triginta auri in auro, & vltra etiam cum ſolita veſte cerulei coloris, quæ in ſimilibus connubijs puellis maritandis conceditur.

1 Ex teſtamento Euangeliſtæ de Arpino per acta Ricchetti ſub die 4. Februarij 1576. dotatur vna, cum eleemoſyna ſcutorum 25. & vltra dotem cum ſolita veſte, & præfertur de

Terra

Terra Arpini, (ſi extat) cæteris alijs, ex particulari eiuſdem Teſtatoris diſpoſitione.

2 Ex legato quon. Lucretiæ Gallettæ in Archiconfraternitatem per Moniales Sanctæ Marthæ Vrbis tranſlato mediante impoſitione cenſus ſcutorum 1000. ab eiſdem Monialibus eidem Archiconfraternitati ad cenſum datorum prout in Inſtrumento per acta noſtri Secretarij rogato ſub die 18. Nouembris 1586. aliæ duæ virgines, quibus dantur pro eleemoſyna ſcuta 26. monetæ pro qualibet, & ſcuta quatuor erogantur pro emptione veſtis, quæ eis in nuptijs conſignatur.

3 Ex diſpoſitione. q. Antonij de Poetis de Carauaggio proueniente ex inſtrumento cenſus ſcutorum 400. monetæ ad rationem ſcutorum ſeptem cum dimidio pro quolibet centenario, & anno per acta noſtri Secretarij, ſub die 3. Martij 1574. celebrato, vna virgo, quę ſi ex parentibus de Carauaggio extat, cæteris præferenda eſt, cum dote ſcutorum 30. computata in eis ſolita veſte.

4 Ex teſtamento quon Ioannis Antonij de Sancto Petro rogato per acta Hieronymi Fabrij Notarij A. C. ſub die 23. Februarij 1593. quatuor Virgines, quarum duæ ſunt ad nominationem hæredum, aliæ ad diſpoſitionem Archiconfraternitatis: ſed quatenus extent de parentibus Comenſibus, vel Mediolanenſibus, iſtæ ſunt præferendæ, & cuilibet ipſarum pro dote dantur ſcuta 40. monetæ computata ſolita veſte.

6 Ex teſtamento quon. Ioannis Baptiſtæ Marcheſini per

ni per acta D. Galdini Burlaſchini ſub die 26. Augusti 1573. celebrato, & in Archiconfraternitatẽ (viuente D. Anaſtaſio Corona illius executore) tranſlato per ceſſionem, per acta noſtri Secretarij ſub die 3. Septembris 1602. factam; ſex Virgines, quarum vna eſt ad nominationem ipſius Coronæ ipſo viuente, & dantur ſcut. 30. monetæ pro qualibet computata veſte.

Et quia fuerat à dicto Teſtatore ordinatum, quod iſtarũ puellarum coniugium, celebraretur in feſtiuitate S. Ioannis, & eis relicta ſola quantitas ſcut. 25. cõputata veſte, quæ eleemoſyna ſatis exigua attenta temporis qualitate, videbatur, & in admiſſione huius hæreditatis fuerant ad rationem ſcut. 30. dotatæ; ideo ex his, & alijs rationabilibus cauſis, vt facilius, & melius huiuſmodi coniugium in poſterum ad certum numerum pro uiribus hæreditatis, & ad ſolitum tempus Feſtiuitatis S. Hieronymi reduceretur: obtinuit Congregatio hoc eodem anno mediante Illuſtriſſimo D. Cardinali Protectore Breue à S. D. N. commutationis dictæ voluntatis, quod in Archiuio noſtro conſeruatur.

2 Ex teſtamento q. Auguſtini Radicij rogato per acta Io. Bernardini Eliæ ſub die 3. Auguſti præteriti aliæ duæ Virgines ad electionem hæredum, & dantur ſcut. 30. pro qualibet comprehenſa veſte dari ſolita in ſimilibus connubijs.

Puellæ quæ ab Archiconfraternitate dotantur ſunt per binas viſitationes faciendas per duos ex DD. Deputatis à Congregatione ordinaria eligendis pro qualibet vice viſitandæ, & in viſitatione ſeruãda, omnia requiſita inferius regiſtrata.

Et quia huiuſmodi matrimonia, ſunt per turnum, vt vo-

cant inter omnes Vrbis Regiones, diſtributa, vt omnes ordinatè ſuccedant. Ideo fuit huiuſmodi turnus in Congregatione ſub die 17. Septembris 1596. accommodatus, & hucuſque ſeruatus.

Vnum aduerteñ eſt, quod Puellę habentes ſcut. 100. pro dote ab alijs locis Pijs tamquam competenter dotatæ, non admittuntur, nec ille, quæ ad minus in 18. ætatis anno non ſunt conſtitutæ, cum multæ maioris ætatis in ſimilibus viſitationibus reperiantur; Fit repetitio dotis à Puellis iam dotatis in caſibus expreſſis in ſchedula impreſſa, & à Reuerendiſſimo D. Prælato & deputatis ſubſcripta, quæ eiſdem puellis conſignatur tempore proceſſionis faciendæ in dicto die S. Hieronymi, quos caſus (in talem euentum) ibi videre poterunt.

Requiſita ſeruanda in viſitatione Puellarum.

Cuiuſlibet Puellæ viſitandæ, perquiratur ætas, & Eccleſia, in qua fuerit baptizata.

Patria, & itidem Patria eius genitorum.

A quanto tempore in eadem domo in qua reperitur inhabitauerit.

Vbi de præterito habitauerit.

Vnde victum ſibi quærat ipſa, & parentes eius.

An habeat eleemoſynam à pijs locis, & ſit propterea de comprehenſis.

Quas alias dotes habeat, & oſtendat Patentes.

Quot, & quas ſorores, fratres, patruos, & conſanguineos habeat, & vbi commorentur.

An

An habeat bona ſtabilia, cenſus, legata, aut alia Iura, & credita.

Et hæc omnia Viſitator in relatione per eum deſuper facienda fideliter, & diligenter deſcribat.

Et Puellas ad frequentationem Sanctiſſimorum Sacramentorum, & honeſtè viuendum hortetur.

De Procuratore Viduarum, & Pupillorum de S. Petro. Cap. XV.

INter alia Charitatis opera, quæ à noſtra Archiconfraternitate alias fuerant in ſubuentionem pauperũ inſtituta; conſtituerat procuratorem, qui gratis cauſas Pauperum, Viduarum, & miſerabilium pupillorum defenderet, vt ex decreto ſub die 25. Ianuarij 1562.

Sed cum poſtea à quadam deuota perſona fuiſſet oblatum competens ſalarium Archiconfraternitati pro procuratore, qui dictas cauſas tueretur, ſub die 26. Septembris 1565. illo deficiente, & superuenientibus Congregationi, tot tantisq; oneribus, pro ſubeundis, & adimplendis ſolitis eius Inſtitutis, huiuſmodi pium opus continuare non potuit.

Et ideo Io. Antonius de S. Petro vnus ex dictis antiquis Confratribus, & pluries Deputatus Archiconfraternitatis in codicillis per eum factis ſub die 19. Septembris 1594. per acta dicti D. Fabrij, de eius teſtamento rogati aſſignauit annua ſcuta 100. pro ſalario dicti procuratoris, & huiuſmodi laudabile opus in beneficium dictarum miſerabi-

lium perſonarum renouauit.

Et ideo Archiconfraternitas in exequutionem dictæ diſpoſitionis dictum procuratorem, cum dicta prouiſione conſtituit, vt dictas miſerabiles perſonas gratis tueatur, & defendat, & vt ad notitiam dictarum perſonarum, ex tunc deueniret, & futuris temporibus deueniat fuit ſolita Archiconfraternitas affigi facere ſaltèm quolibet anno, per Vrbem edicta impreſſa. In quibus ſignificatur auxilium, quod à charitate, pro eorum defenſione, mediante dicto procuratore, recipere poſſunt.

Et vt dictus Procurator muneri ſibi iniuncto diligenter incumbat, & dictis miſerabilibus perſonis, in quantum fieri poteſt ſubueniatur; ex decreto Congregationis ſub die 2. Martij 1599. eligitur pro tempore vnus ex DD. Deputatis I. C. qui ſit ſuperintendens dictis cauſis, & illis quoties opus fuerit nomine Charitatis faueat, & præſtet auxilium, dictoq; Procuratori demandatum fuit, ne defenſionem dictarum cauſarum à ſemetipſo ſuſcipiat, ſed vel de ordine Congregationis, aut dicti D. Deputati, vt cauſarum defendendarum merita, & iuſtitiam guſtare poſſit; Et tenetur in qualibet Cógregatione ordinaria, ad effectum referendi ſtatum dictarum cauſarum, comparere.

✠

De

De ſumptibus litium dictis miſerabilibus perſonis defendendis à Procuratore de S. Petro ex donatione vnius ex Reuerendiſsimis DD. Prælatis Charitatis per Archiconfraternitatem ſubminiſtrandis.

Cap. XVI.

CVmq; in proceſſu defenſionis dictarum cauſarum Viduarum, & Pupillorum defendendarum à Procuratore de S. Petro, compertum eſſet, quod nonnullæ ex dictis miſerabilibus perſonis non valentibus ſcripturas, mercedes notariorum, & alios ſumptus litium, propter earū paupertatem, ſubminiſtrare, earum iura, vel imperfecta derelinquere, vel nondum inchoata deſerere cogebantur.

Ideo vnus ex Reuerendiſſimis DD. Prælatis noſtræ Archiconfraternitatis pro dictis ſumptibus litium dictis pauperibus ſubminiſtrandis, vt eorum iura facilius proſequi, & ad finem perducere valeant; ſub die 15. Septembris 1602. aſſignauit dictis pauperibus annua ſcuta 40. ex fructibus annui cēſus ſcutorum 65. per Archiconfraternitatem D. S. Illuſtriſſimæ debiti, & eidem Archiconfraternitati donati, prout in inſtrumento eadē die rogato per acta noſtri Secretarij, quę annua ſcuta quadraginta ſunt per Congregationem inter eos pro dictis ſumptibus quolibet anno in perpetuum diſpenſanda.

Et

Et vt dictæ miſerabiles perſonæ de huiuſmodi nouo auxilio, & diſpenſatione, in poſterum certam notitiã habere poſſint, inter alia in edicto in quo eiſdem miſerabilibus perſonis innoteſcit, ipſas eſſe defendendas gratis à dicto Procuratore Charitatis, additum eſt, quod illis etiam erunt ſubminiſtratæ expenſæ, & ſumptus litis; vt ad recipiendum huiuſmodi auxilium ad eandem Congregationem accedere debeant; Et vt iſta aſſignatio fideliter, & integrè diſpenſetur, à Cõputiſta noſtro, de ea in libris Charitatis particulare computum retinendum eſt, ſub pœnis contentis in dicto Inſtrumento aſſignationis cui pro pleniori relatione recurrendum erit.

Io. Baptiſta Arcimboldus Prelatus Charitatis.
Diomedes Caraffa Prælatus Carcerum.

Euangeliſta Carboneſius Dep.
Marcus Antonius Sabatinus Dep.
Paulus Benius Dep.
Ioannes Antonius Fucciolus Dep.
Ioannes Petrus Zanchatus Dep.
Paulus Maggius Dep.
Simon Lazzainus. Dep.
Io. Baptiſta Foſſa Dep.
Camillus Cauetanus Syndicus.
Dominicus Cyprianus de Comitibus Syndicus.

Aſcanius Mazziottus Secret.

1027 / 11
S9 956427

[illegible]